

a se leprosum ad sacerdotes misit, ut cum sanatum declararent, sive cum Lazarum a se excitatum a mortuis jussit ut apostoli ab exterioribus vinculis solverent, inter quos 4. eminent s. Augustinus et Gregorius M. qui aperte tradunt vivum esse oportere, qui peccata constituit, nec quemquam esse absolvendum nisi quem sacerdos cognoverit vivificatum; 5. ab istorum patrum doctrina non discessit s. Thomas qui in 4. d. 21. a. 2. in corp. et alibi passim id ipsum docet concludens quod ordinatur confessio directe ad dimissionem poenae. Ergo.

Resp. ad 1. Dist. Ita tamen ut concilium eam improbaverit atque rejecerit, C. ut non rejecerit, N. Ex eo quod concilium nullam specialem notam illi sententiae inusserit, ob quamdam erga veteres scholasticos reverentiam, id unum inferri potest eam non esse haereticam, at ex eo quod non sit haeretica, non sequitur esse catholicam.

Ad 2. Dist. Antequam ab Ecclesia reprobata esset adeoque innoxie, C. postquam Ecclesia contrarium docuit, subd. a jansenistis ac paucis illis qui istorum vestigia sectari maluerunt quam Ecclesiae doctrinam, C. a cordatis theologis, N. Veri enim theologi munus est non propria, sed Ecclesiae sensa reverenter complecti.

Ad 3. Neg. Imo contrarium plane patres docuerunt 1. cum affirmarunt claves aeterni adytii traditas esse arbitrio Petri caeli janitoris; 2. hanc inesse sacerdotibus potestatem ut beneficio absolutionis vere peccata dimittant, 3. non nisi ad preces sacerdotis peccatoribus indulgentiam a Deo concedi; 4. sententiam sacerdotum priorem esse divina; 5. poenitentes ad vitam excitari solemnibus absolutionis ritu; 6. donec ad sacramentum veniant, catechumenos et poenitentes semper esse vinculis peccatorum adstrictos (1). Quae certe principia consistere nequeunt cum adversariorum doctrina. Cum igitur patres adducunt exempla leprosi a Christo mundati ac Lazari excitati a mortuis, id unice significare volunt, Deum esse qui interiori gratia sua peccatores vivificat et mundat, sacerdotes vero non esse nisi causas instrumentales, quibus Deus utitur ad peccata mundanda, ut exponit Catechismus romanus (loc. cit. n. 35).

Ad 4. Dist. Vita inchoata et inchoata resurrectione, quam imperfecta contritio operatur per gratiam actualem, quae animam interius movet et excitat, C. vita plena et perfecta resurrectione, quae est effectus gratiae justificantis per sacramentum conferendae, N. Id patet ex ipsis s. Gregorii verbis, qui in eadem hom. XXVI. in Evangel. quae nobis opponitur, scribit: *Ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos pastoris sententia absolvat* (N. 6.); nec non ex verbis s. Augustini, qui aperte de illis, qui sacerdotum objurgationibus displicentes sibi, mutare vitam instituant, affirmat: *resurrexerunt isti; revixerunt quibus displicet quod fuerunt: sed reviviscentes ambulare non possunt. Haec sunt vincula ipsius reatus;*

(1) Horum omnium testimonia cf. apud Bellarm. de poenit. lib. III. cap. 2. et seqq.

opus est ergo, ut qui revixit, solvatur, et ire permittatur. Hoc officium discipulis dedit, quibus ait: *quae solveritis etc.* (1).

Ad 5. Dist. In commentariis in Magistrum sententiarum, C. in Summa ubi si quid minus caute antea scripserat, rerum momentis maturius perpensis emendavit, N. Porro in 5. p. q. 84, ar. 2 et 3., doctrinam nostram propugnat. Sic enim scribit ar. 3. *Cum sacramenta novae legis efficiant quod figurant, oportet quod forma sacramenti significet id quod in Sacramento agitur, proportionaliter materiae sacramenti. . . . Hoc autem sacramentum scilicet poenitentiae nec consistit in consecratione alicujus materiae sanctificatae, sed magis in remotione cujusdam materiae, scilicet peccati, prout peccata dicuntur esse materia poenitentiae. Talis autem remotio significatur a sacerdote cum dicitur: Ego te absolvo* (2).

CAPUT III. DE CONFESIONE.

Confessio quae altera pars est sacramenti poenitentiae definitur solet: *Accusatio peccatorum, quae quis post baptismum commisit, legitimo sacerdoti facta ad illorum absolutionem obtinendam.* Wicleffus necessitatem confessionis impugnavit in casu perfectae contritionis, ut patet ex ejus art. VII a concilio Constantiensi proscripto: *Si homo debite fuerit contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua et inutilis* (3). Novatores confessionem interdum uti bonam ac salutarem commendant, interdum vero tanquam cruentissimam animarum carnificinam ac tormentum innocentianum execerantur, vel ad summum contendunt ejus usum liberum esse utpote institutionis mere ecclesiasticae. Increduli eandem viam tenent. Veteres montanistae ac novatiani admittunt confessionis divinam institutionem, restringunt tantum facultatem a Christo datam Ecclesiae absolvendi rite poenitentes ab omnibus peccatis. Jansenistae improbant usum confitendi peccata venialia. Hos errores omnes refellere aggredimur.

PROPOSITIO I.—*Confessio sacramentalis omnium et singulorum peccatorum mortalium quae post baptismum commissa sunt, divinae institutionis est, et necessaria ad salutem. Quod in primis sacrae litterae ostendunt.*

De fide est, ad quam sancendam hos canones edidit concilium Trid., sess. XVI, can. VI: *Si quis negaverit confessionem sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure divino; aut dixerit, modum secretae confitendi soli sacerdoti, quem Ecclesia catholica ab initio semper observavit et observat, alienum esse ab institutione et mandato Christi, et inventum esse humanum, anath. sit.* Can. VII. *Si quis*

(1) Serm. XCVIII. al. XLIV. de verbis Dom. cap. 6.

(2) Certum videtur plerosque scholasticos usque ad s. Thomam docuisse necessitatem contritionis ad sacramentum poenitentiae rite suscipiendum, imo et s. Thomam ipsum, quidquid asserat Drouvenius, tum in aliis operibus tum in commentariis in Magistrum sententiarum adhaesisse communi tunc temporis sententiae, donec in Summa mutavit sententiam quam postea nunquam non est professus. Cf. Morinum op. et l. cit.

(3) Apud Hard. acta concil. tom. VIII. col. 299.

dixerit, in Sacramento poenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino, confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti praemeditatione habeatur, etiam occulta, et quae sunt contra duo ultima Decalogi praecpta, et circumstantias, quae peccati speciem mutant. . . . anath. sit. Can. VIII. *Si quis dixerit, confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem, et traditionem humanam, a piis abolendam. . . . anath. sit.*

Suppositis testimoniis superius ex sacris litteris recitatis: *Quaecumque alligaveritis, etc. Quorum remiseritis, etc.* Ita institutum argumentum: evidens est ex his verbis sacerdotes constitutos a Christo esse iudices facultate instructos ligandi atque solvendi, retinendi atque remittendi peccata: atqui, inquit Tridentinum (Sess. XIV, cap. 5), *constat sacerdotes iudicium hoc, incognita causa, exercere non potuisse, neque aequitatem quidem illos in poenis injungendis servare potuisse, si in genere duntaxat et non potius in specie, ac singillatim sua ipsi peccata declarassent.* Id ipsum fori civilis consuetudo plane demonstrat, ubi nisi iudices pro tribunali sedentes reorum causas vel ex propria confessione, vel accersitis testibus diligentissime inquirerent, discuterent, ponderarent, eorum iudicia ut iniquissimae praerogationes haberi deberent. Cum itaque Christus tribunal spirituale poenitentiae ad instar fori civilis erexerit, necessario fatendum est ex Scripturae auctoritate, nisi praevia singulorum peccatorum lethaliu cum suis circumstantiis quae speciem mutant, confessio fiat, remitti ac retineri peccata non posse.

Hunc praeterea ac non alium sensum esse verborum quibus Christus contulit hanc potestatem absolvendi aut ligandi, remittendi aut retinendi peccata constat ex ratione qua in praxim haec facultas ab Ecclesia deducta est, atque ex constanti traditione ac interpretatione Patrum per quos eorum verborum significatio determinata est. Quod sequenti propositione luculentissime ostendemus. Interim animadvertimus confessionem ipsam divinae institutionis esse, ac necessariam ad salutem, non autem modum confitendi sive palam sive secreto; qui modus afficit tantum disciplinam cujus Ecclesia moderatrix esse debet (1).

DIFFICULTATES. I. Obj. 1. Christus cit. verbis sacerdotes iudices minime constituit, cum ex Apostolo I. Cor., IV et II; Cor., V. non sint nisi *legati, ministri et dispensatores mysteriorum Dei.* 2. Verum, dato etiam quod veri iudices sint, nequeunt propterea peccata remittere, quod solius principis est,

(1) Conc. Trid. hoc aperte indicat sess. XIV. c. 3. Cf. Morinum de poenit. lib. II. cap. 10. § 14. et seqq. tum etiam cap. 9. ubi non pauca exempla profert ejusmodi confessionum, quae in publico concessu interdum fieri consueverunt. Id ipsum ostendit Massuetus in diss. III. Iren. cap. 7. Scio Petayum in annot. in s. Epiphani. haeres. LXXIX. § 5. contendere nunquam confessionem publicam viguisse. Verum ipse loquitur de publica peccatorum confessione quae aliqua lege fuerit praescripta praesertim in universa Ecclesia. in quo utique ei assentimur, ast negari non potest in nonnullis ecclesiis et per aliquod tempus ejusmodi confessionem obtinuisse.

iudicis vero munus statutas a lege poenas tantummodo exequi. 3. Principes praeterea iudices constituendo non prohibet, quominus subditi possint ad se immediate confugere, multo igitur minus Christus tribuens apostolis facultatem remittendi aut retinendi peccata vetuit, ne fideles ad se immediate confugiant ut remissionem peccatorum obtineant. 4. Dicendum est igitur liberam saltem esse omnibus confessionem, nisi 5. agatur de publicis peccatoribus, qui velint baptizari aut cibo eucharistico refici, non autem de occultis quorum reatus cum lateant Ecclesiam, nullum propterea ipsa jus habet in eos inquirendi et iudicandi (1). Ergo.

Resp. ad 1. Neg. ad prob. Dist. Id est sacerdotes iudices non sunt auctoritate suprema et propria, C. ministeriali et communicata, N. Christus enim apostolis eorumque in sacerdotio successoribus missionem contulit et auctoritatem administrandi sacramenta eo modo quo ab ipso instituta sunt: sacramentum porro poenitentiae voluit ut administraretur ad modum iudicii; ergo hoc ipso instituit sacerdotes vere iudices in hoc Sacramento.

Ad 2. Dist. Nomine et auctoritate propria, C. nomine et auctoritate Christi et juxta leges ab ipso latas, N.

Ad 3. Dist. Nisi constaret de aperta Christi voluntate, ut non consequamur peccatorum remissionem praeterquam virtute clavium, C. si de hac voluntate constet, N. Sane vel ipsa clavium metaphora qua usus est Christus aperte ostendit non posse nos alia ratione peccatorum remissionem obtinere quam per illorum ministerium, quibus ipse claves commisit. Quorsum enim alicui claves traderentur, si cuique domus adytus pateret (2)?

Ad 4. Neg. Responsio patet ex modo dictis.

Ad 5. Neg. Distinctio enim quam Binghamus invenit arbitraria est; nam Christus nullum faciens discrimen inter peccata publica et occulta, omnia remittendi facultatem dedit apostolis. Quod si Ecclesia in foro externo non iudicat de occultis, de iisdem tamen iudicat in foro interno juxta potestatem sibi a Christo datam.

Inst. 4. Absolutio est alieni beneficii executio, non autem iudicium; 2. Christus enim mandatum quidem dedit remittendi peccata, at non dedit mandatum de peccatis cognoscendis; 3. quod ostenditur ex baptismi exemplo, qui confertur in remissionem peccatorum absque ipsorum manifestatione. Ergo.

Resp. ad 1. Dist. Est executio alieni beneficii conferendi per actum iudiciale, adeoque cum causae cognitione, C. conferendi quaecumque ratione, N.

Ad 2. Dist. Dedit Christus mandatum remittendi peccata simul et retinendi, si opus fuerit, C. solum

(1) Ita passim Kemnitius, et post eum Dallaeus et Bingham.

(2) Cf. Scheffmacherum *lettres d'un docteur allemand de l'université de Strasbourg à un gentilhomme protestant.* Strasbourg. 1750. tom. I. lettre 4. troisième proposit. cl. etiam Maldonatum de *Sacram. poenit.* c. 6.

remittendi, *N.* Jam vero nisi prius peccata cognoscantur, non potest ejusmodi facultas rite exerceri.

Ad 3. Neg. paritatem. Cum enim per baptismum pateat infidelibus ingressus in Ecclesiam, nequit hæc in non subditos verum ac proprium exercere iudicium. *Quid enim mihi, interrogat Apostolus, de iis qui foris sunt iudicare?* I. Cor., 5, 12. Per plura aut pauciora experimenta propterea Ecclesia tentat catechumenos, antequam eos admittat ad baptismum (1).

II. *Obj. 1.* Nusquam legimus apostolos compulisse fideles ad confessionem peccatorum apud se faciendam. 2. Imo apostolus Paulus solum exegit conscientie propriæ discussionem a fidelibus, ut digne accederent ad sacram synaxim, dicens: *Probet autem se ipsum homo* (I. Cor., XI, 28), innixus certe doctrinæ Christi, qui 3. Matth., VI, nos docet in oratione dominica peccatorum remissionem immediate a Patre suo petere illis verbis: *Dimitte nobis*; et 4. promittit Patrem suum nobis dimissurum, prout et nos debitoribus nostris dimiserimus; jam vero nos debitores nostros ad duram hanc conditionem non adigimus, ut prius singillatim offensas nobis illatas confiteantur. 5. Hinc Christus Apocalyps., II et III, variis episcopis delinquentibus non aliud injungit ad peccatorum veniam obtinendam, quam ut poenitentiam agant, ut præcipiebatur in V. T.; 6, neque enim credere fas est in lege gratiæ impositum esse gravissimum jugum, cui minime subjiciebantur qui sub lege servitutis constituti erant. Ergo.

Resp. ad 1. Tr. Nec enim desunt qui confessionis praxim colligant ex Jac., V, 16, aliisque testimoniis (2). Verum hoc omisso, *D.* Non legitur, *C.* non compulerunt fideles ad confitendum cum opus esset, *N.* Nusquam enim legimus apostolos baptizasse infantes quia tamen inferri possit nunquam infantes ab apostolis tinctos fuisse. Cum igitur constet de divina confessionis institutione, nos potius concludimus apostolos fidelibus confessionem injunxisse cum opus esset, quamvis id litteris minime fuerit consignatum.

Ad 2. Dist. Probatione a Christo præcepta, C. quomodocumque facienda, *N.*

(1) Jam alias monuimus antiquitus obtinuisse, ut inter cetera experimenta exigetur singulorum peccatorum confessio a catechumenis, postea tamen hæc praxis in consuetudinem abiit. Dixi inter cetera experimenta, siquidem illa non erat confessio sacramentalis, ut patet, neque Ecclesia ullam exercebat jurisdictionem propriè dictam in illis catechumenos, sed solum ad humilitatis exercitium, atque ut se certiores faceret de catechumenorum dispositionibus priusquam eos admitteret ad baptismum.

(2) Cf. Scheffmacherum loc. cit. Maldonatus in cit. tract. de poenit. contendit minus solidum esse testimonium quod afferri solet ex epist. Jacobi: « Confitemini ergo alterutrum peccata vestra » ad evincendum præceptum confessionis. Attamen alii magnum pondus probationis inveniunt in eo textu. Morinus enim lib. viii. de poenit. cap. 8. § 4. non solum mordicus vindicat hoc testimonium velut efficax ad ostendendam necessitatem confessionis, sed ostendit præterea talem esse ejusdem textus interpretationem ss. patrum antiquissimorum. Cf. cit. loc.

Ad 3. Dist. Obtinendam per adjumenta a se instituta, C. ad horum exclusionem, *N.*

Ad 4. Dist. Quoad dimissionem ipsam et affectum dimissionis, C. quoad modum, *N.* Longe enim diversa ratione nobis dimittit Deus, ac nos dimittere debeamus debitoribus nostris, qui nullam ad veniam concedendam nostris offensibus conditionem apponere possumus: potest autem Deus, prout re ipsa apposuit.

Ad 5. Dist. Modo tamen a Christo injuncto, C. ad ipsorum arbitrium, *N.*

Ad 6. Resp. I. hic agi de facto, si de eo constiterit, conjecturæ nostræ evanescent. *Resp. II. D.* Quod tamen leve est habita ratione tot legalium lustrationum, sacrificiorum, etc., quæ in veteri lege exigebantur ad remissionem peccatorum obtinendam, ac leve præterea fit ab uberiori gratia, *C.* secus, *N.* Adde confessionem in solatium ac in commodum nostrum cedere (1).

III. *Obj.* Auricularis confessio pluribus nominibus impossibilis est, perniciose et periculi plena. Ac 1. impossibilis est integra peccatorum confessio, tum defectu memoriæ, tum defectu cognitionis, tum denique defectu discretionis inter peccata lethalia ac venialia; hinc anxietates et scrupuli, quibus non semel perturbatur conscientia. 2. Perniciosa est quatenus qui confitetur ex veniæ facilitate ansam sumit in pejus quotidie ruendi, ac temerariam sibi securitatem pollicetur, cum de unica materiali confessione sollicitus vix ipsi cura subsit de criminum detestatione. 3. Periculi demum plena est confessio ex parte reipublicæ, quæ sibi omnia metuere potest ex arcaea hac conscientie manifestatione in qua sacerdotes suadere possunt poenitentibus, ne principum jussis obtemperent, aut machinationes moliantur adversus publicam tranquillitatem aut principum vitam. Sed nec periculo vacat quoad ipsos confessarios qui foedissima quæque tum legere, tum audire coguntur quibus perdifficile est eos non inquinari; hinc Constitutiones adversus sollicitantes editæ. Periculi demum plena est respectu ipsius confitentis, dum ea recolere memoria debet quæ ipsum in delectationem conjicere possunt eorum quæ detestari

(1) Cf. Moehler *Symbolique* liv. 1. § 33. ubi n. 2. inter cetera scribit: « Tout ce qui affecte véritablement l'homme, doit de nécessité se produire au dehors. . . . Quand l'âme est brisée par le repentir, ce sentiment veut se révéler au grand jour; alors nous confessons nos péchés à l'Eglise, et tout ce que nous faisons au prêtre, nous l'avons fait à Jésus-Christ, car il tient sa place. Que deux ennemis désirent sincèrement se réconcilier, ils se sentent entraînés à confesser leurs torts, et ce n'est non plus que par cet aveu que leur réconciliation devient véritable, que la paix rentre dans le cœur. Telle est en effet la nature de l'homme, qu'il ne croit point lui-même à ses propres affections, s'il ne les voit manifestées à l'extérieur; et dans la réalité, les mouvements de notre âme ne sont parvenus à leur dernier complément que lorsqu'ils ont reçu une forme visible. . . . Celui qui déteste, abhorre le péché, le confesse avec douleur et tout ensemble avec joie; avec douleur, parce que le péché est le mal propre du pécheur; avec joie, parce qu'en le confessant le pécheur s'en sépare et s'en éloigne. » Nimis essem si vellem huc afferre quæ cl. Manzoni præclare scripsit de hoc argumento in op. *sulla morale cattolica*, cap. 8, § 3.

teneretur; ex saepe præterea iterata eorumdem criminum narratione fit ut verecundiam omnem exuat, ac vix unquam e peccatorum cœno emergat. Ergo.

Resp. 1. Generatim agi de facto, uti jam animadvertimus; hoc semel constituto, quæ ambitioso ac vano eruditionis ac verborum apparatu congerunt adversarii, per se concidunt. Paralogismis præterea pugnant adversarii, dum ea urgent adversus auricularem confessionem quæ sibi protestantes animo seu potius imaginationis æstu fingunt, aut quæ ex hominum vitio et abusu proveniunt, non autem ex rei ipsius institutione ac legitimo usu.

Resp. II. Neg. Ad 1. prob. Dist. Si nos teneremur ad id quod vires nostras excedit, *C.* si ad id solum ad quod vires nostræ divina gratia adjunctæ pertingunt, *N.* Jam vero ut ex Tridentina synodo didicimus, nos non tenemur confiteri nisi ea peccata, quæ post debitum ac diligens examen menti subeunt. Id ipsum de ceteris dicatur quæ recensent adversarii, cum juxta practicum conscientiæ dictamen peccata sua fideles patefacere debeant. His vero, qui forte rudiores esse possunt confessariorum charitas, et solertia præsto est.

Ad 2. Dist. Ex propria malitia, Tr. vel C. ex sacramento ipso, *N.* Tantum enim abest, ut confessio facilitatem peccandi præbeat, ut quo deteriores homines sunt, eo magis a confessione abhorreant, quo vero meliores sunt, eo magis eam frequentent. Quod si nonnulli rudes adeo sint ut in confessionis veluti cortice quiescant, parum solliciti de interioribus animi dispositionibus, quæ ad rite hoc sacramentum suscipiendum requiruntur, instruendi si sunt ac commonendi, non vero abolenda confessio. Tot enim, experientia duce, tantaque emolumenta in christianos ex ea proveniunt, ut nullum fortasse frenum magis idoneum excogitari possit ad homines a vitiiis retrahendos, aut ad eos continendos in officio. Ipsimet protestantes ac increduli non semel hoc ipsum animadvertent ac ingenue fassi sunt (1), atque hinc saepe ejus usum, licet frustra, restituere contenderunt (2).

Ad 8. Neg. Quin potius republica haud pauca inde commoda percipit. Confessarii enim norunt scriptum esse: *Admane illos principibus et potestatibus subditos esse* (Ad Tit. III. 1). Sane machinationum et seditionum architecti sacerdotum insectatores ac hostes terrissimi sunt. Non ignorant præterea confessarii teneri se ad poenitentes adigendos ut furto aut fraude sublata restituant, famæ læsæ damna reparent, ceteraque præstent quæ damno quavis ratione injuste illato civibus compen-

(1) Baro de Starck plura adducit documenta ad hoc evincendum tum ex protestantibus, tum ex ipsis incredulis. Inter ceteros Voltaire in op. *Annales de l'Empire* tom. 1. p. 41. hæc scribit: « Les ennemis de l'Eglise romaine, qui se sont élevés contre une institution si salutaire (la confession auriculaire), semblent avoir ôté aux hommes le plus grand frein qu'on peut mettre à leurs crimes secrets. Les sages de l'antiquité en avaient eux-mêmes senti l'importance. » Sed cf. *Entretiens philosoph.* pag. 28. et seqq. Cf. etiam com. de Maistre in op. *du Pape* liv. III. chap. 5. § 1. necnon Esslinger op. cit. § 1.

(2) Cf. Scheffmacher op. cit. ubi inter cetera profert actum quo ministri protestantes enixis precibus petierunt a magistratu argenteratensi, ut restitueret usum confessionis. Alia cf. apud Bergier *Diction. art. Confession.*

sando sunt necessaria. Ex his aliisque haud paucis quæ brevitatis gratia prætermitto, luculenter constat perniciosissime, an potius utilitates maximas ex confessione republica sibi polliceri jure debeat (1). Neque ullum est confessariis pertimescendum periculum si oratione freti, et ea qua decet modestia, gravitate, prudentia, charitate ad excipiendas confessiones se conferant, prout quovis tempore, cum ingenti suo et animarum lucro sanctissimi viri hoc sacramentum administrarunt. Recte observat Bergerius deteriores sacerdotes nihil magis abhorreere quam ab audiendis confessionibus (*loc. cit.*). Profecto hoc ministerium perpetua admonitio ipsis confessariis est. Si qui vero moribus projecti eo quandoque abutuntur, ipsi viderint: rationem enim reddent ei cujus vice in sublimi hoc ministerio funguntur (2). Neque demum periculo est poenitentibus confessio, si et ipsi intimo cordis dolore perculti peccata sua recolant, eaque exponant ea qua par est cautela ac verecundia; alioquin vel ipsa confessio quæ coram Deo juxta adversarios esset facienda, periculo non vacaret, omnique conscientie discussio fugienda esset, cum tamen pius Ezechias de se profiteatur: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ* (Isai. XXXIII. 25).

PROPOSITIO II. — *Eadem veritas ex sensu traditionali adstruitur.*

Protestantes recentem esse contendunt doctrinam et praxim aut saltem obligationem, seu necessitatem (3) confessionis, atque ab Innocentio III. in concilio Lateranensi IV. demum obtrusam an. 1215. Si igitur ostenderimus 1. omnibus retro seculis patres confessionis divinitus institutæ necessitatem inculcasse gravium criminum reis; 2. praxim sive usum confessionis in universa Ecclesia nunquam non viguisse, tum illorum ignorantia, tum mala fides, aut etiam utraque simul manifestæ erunt. Jam vero id ostendere operosum non est.

Ac primo quidem constantem ac perpetuam esse patrum doctrinam circa hunc articulum ostendunt eorum testimonia, quæ, ne longiores simus, more nostro, in certas classes redigimus. Harum 1. est eorum qui affirmant non nisi sacerdotes posse criminum vincula solvere post eorum manifestationem; ita ex La-

(1) Claus. Harms protestans sic alloquitur Regem Borussia: « Nescirem majestati tuæ majori fervore rem aliam magis commendare quam confessionem, etenim Ecclesia nullum medium efficacius illa habet ad christianos continendos in timore Domini qui est basis timoris, obsequii, et subjectionis quam regi suo subditi debent. Errer hæc de re (licet, ut spero, qui illum evulgant ignorent) includit germina perditionis et thronos minatur. » Ita in ephem. evangelica Berolinensi 1829. n. 81. Plura alia huic similia ex protestantibus afferre possem. Interim cf. Esslinger op. cit. Bergier *Diction. de théol. art. Confession.*

(2) Cf. quæ de hoc argumento apposite scribit Manzoni op. et loc. cit. necnon Feller *Chat. philosoph. art. Confession.*

(3) Nunc jam fere omnes protestantes veritate compulsi fateantur usum confessionis antiquissimum esse; verum contendunt illum esse liberum, ita ut ex Christi dispositione nulla vigeat confessionis obligatio nec nisi serius ab Ecclesia eam fuisse inductam. Ita Dallæus, Bingham., etc. ad eos demum an. 1781. accessit Eybel in opere quod de hoc argumento scripsit.

tinis s. Cyprianus, s. Ambrosius, s. Innocentius, s. Leo M., s. Augustinus, s. Gregorius M.; ex Græcis vero Origenes, s. Basilius qui ad interrogationem 228. *Quibus peccata sint aperienda?* Respondet: *Peccata iis confiteri necesse est, quibus credita est dispensatio divinorum mysteriorum* (1) et s. Jo. Chrysostomus (2). 2. Eorum est qui docent sacramentalem confessionem esse regulam imponendam pœnitentiæ sive publicæ sive privatæ juxta sacerdotis prudentiam, ita patres citati (*Ibid.*), et concilium Laodicenum can. II. præcipiens ut pœnitentibus perseverantibus in humilitate confessionis statuatur pœnitentiæ tempus *pro qualitate peccati* (apud Hard. *Acta conc. tom. I. col. 782*), concilium Cabillonense, (can. 8. *ibid. tom. III. col. 949*), Trullanum seu Quini-sextum quod can. CII. præscribit sacerdotibus *peccati qualitatem considerare, et ejus qui peccavit ad conversionem promptum studium, et sic morbo convenientem afferre medicinam.* (*Ibid. col. 1698*). Eodem medicinæ exemplo usus longe ante jam fuerat Origenes (3). 3. Eorum est qui adstruunt Evangelium irritum reddi a quocumque delicta occultante, quæ in corde latent; fortiter esse increpandam eorum verecundiam in peccatorum manifestatione sacerdoti, eamque suffugientes infici apostemate exitioso; nullum denique lethalibus noxis contaminatum accedere posse ad sacram synaxim, nisi prius exomologesim fecerit; sic rursus citati PP. inter quos ita loquitur Origenes: *Si quid in occulto gerimus, si quid in sermone solo, vel etiam intra cogitationum secreta commisimus, cuncta necesse est publicari, cuncta proferri. Proferri autem ab illo qui accusator peccati est et inceptor* (4). Sic pariter Tertullianus (5).

Ad alterum vero quod attinet, ad usum scilicet et confessionis praxim ante Innocentium III. constat 1. ab exemplis imperatorum, regum, ac virorum principum qui confessarios habuisse leguntur a sec. XII. ad sec. VII (6); 2. Presbyterorum per id temporis

(1) *Regulæ brevius tractatæ* Αναγκαῖον τοῖς πεπιστευμένοις τῆν ἐκκλησίαν τῶν μυστηρίων τοῦ Θεοῦ ἐξομολογῆσαι τὰ ἀρρήτητα. Opp. ed. Maur. tom. II.

(2) Ne in citandis auctoribus infuiti fere simus cf. hæc singillatim testimonia collecta tum a Bellarmino lib. III. *de pœnit.* c. 5. et seqq. tum a Scheffmacher op. cit. *Quatrième lettre* Prop. 2. et 5., necnon a Muzzarelli in op. *Il buon uso della logica.* Opp. edit. Florent. 1822. tom. IV. opusculo 15. *confessione auricolare.*

(3) Hom. II. in ps. 57. cujus hæc verba sunt n. 6. «Sicut ii qui habent intus inclusam escam indigestam, aut humoris vel phlegmatis stomacho graviter et moleste immanentis abundantiam, si vomuerint, relevantur: ita etiam hi qui peccaverunt, si quidem occultant, et retinent intra se peccatum, intrinsecus urgentur, et propemodum suffocantur a phlegmate vel humore peccati. Si autem sui accusator fiat, dum accusat semetipsum, et confitetur, simul vomit et delictum, atque omnem morbi digerit causam. Tantummodo circumspice diligentius cui debeas confiteri peccatum tuum. Proba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere, etc. ed. Maur. tom. II. p. 688.

(4) Hom. III. in Lev. n. 4. *ibid.* p. 196. non alia ratione poterunt se subducere protestantes ab horum testimoniorum pondere, quam asserendo has homilias falso esse Origeni adscriptas, uti fecit Dalæus; sed cf. Huetium in Origenian. lib. III. sect. 5. Carcl. de la Rue in monito ad novissimum opp. Orig. edition. Nat. Alex. in *synopsi* Hist. Eccl. sec. III.

(5) *De pœnit.*, cap. 8. nec enim assentior Albaspinæo, qui ea quæ hic Tertullianus scribit de sola pœnitentiæ publica exponit.

(6) Horum omnium documenta cf. apud Scheffmacherum op. cit. prop. I.

excipientium confessiones militum; 3. Episcoporum, qui præ nimia pœnitentium multitudine hos ad monachos remittebant; 4. Sacerdotum qui in Missis orabant: *pro omnibus quorum confessiones suscepit*; 5. eorum qui juxta canonum sanctionem certo tempore confiteri tenebantur; episcopus enim juxta præceptum concilii Rothomagensis in dioceseos lustratione interrogare debebat: *Si aliquis ad confessionem veniat vel una vice in anno, id est, in capite quadragesimæ*; 6. Infirmorum: qui in mortis periculo exomologesim faciebant; 7. Summæ sollicitudinis quam ostendit Ecclesia per eam ætatem ne infirmi absque sacramentali confessione ex hac vita decederent; 8. Fidelium, qui antequam ad sacram Synaxim accederent gravia peccata confitebantur, ut constat ex Anastasio Sinaita scriptore sec. VI. (1), necnon ex s. Paulino Aquileiensi (2), adeo ut in variis confessionum seu examinis conscientiæ formulis exaratis sec. VI. VII. et VIII. et hoc peccatum recensetur: *Ego corpus et sanguinem Domini polluto corpore sine confessione et pœnitentiâ indignus accepi* (Apud Scheffmach. I. cit.); 9. Miraculorum quæ patrata referuntur; exemplo sit quod scribit Petrus venerabilis de juvene infirmo; nam *invitatus ad eum more ecclesiastico presbyter ut ejus confessionem susciperet* eo quod peccatum reticisset, nunquam potuit sacram particulam deglutire (*Ibid.*). 10. Ut alia plura præteream, id ipsum constat ex eo quod qui in Angliam sub s. Gregorio M. ejusque successore Vitaliano religionem christianam intulerunt, inter cetera et præceptum sacramentalis confessionis introduxerint (3).

Jam vero hæc omnia documenta assurgunt a sec. XII. ad sec. VI. Porro sec. V. s. Augustinus, ut peccatorem inducat ad pœnitentiam dum bona valetudine fruitur, hanc rationem proferit: *Quia si ad ultimum vitæ steterit, nescit si ipsam pœnitentiam accipere, ac Deo et sacerdoti peccata sua confiteri poterit* (4). Sec. IV. s. Ambrosius, teste Paulino in ejus vita, in excipiendis secretis fidelium confessionibus summa charitate ac benignitate operam navabat: *Siquidem, scribit, quotiescumque illi aliquis ob percipiendam pœnitentiam lapsus suos confessus esset, ita flebat, ut et illum flere compelleret; videbatur enim sibi cum jacente jacere. Causas autem criminum, quæ illi confitebatur, nulli nisi Domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur* (N. 59). Sec. III. Origenes monet pœnitentes,

(1) En ejus verba: Ἐξομολογήσαι Χριστῶ διὰ τὸν ἑαυτοῦ τῶν ἀρρήτων σου «confiteri Christo per sacerdotes peccata tua.» *De sacra synaxi* n. 5. apud Combefis. in *actuario novo.*

(2) *Lib. exhortation. ad Henricum ducem Forejul.* cap. 55. edit. Madrisii Venet. 1757. cf. not. ed. in h. l. ubi plura alia ss. patrum testimonia congestit.

(3) Cf. Lingard in op. *The antiquities of the Anglo-Saxon church.* Edit. 2. Newcastle 1810. ch. 7. p. 200. et seqq. ubi plura documenta proferit ex Egberto, Libro legali Eccles., Beda aliisque ex quibus constat viguisse in Anglia ea etate præceptum confessionis adversus Welock, qui putavit liberam tunc temporis fuisse hanc confessionis praxim apud Anglo-Saxones; inter cetera verba hæc ex serm. de pœnit. col. lect. a Welockio ipso urget: «Revera nemo veniam peccatorum a Deo impetrabit, nisi illa alicui e divinis ministris confiteatur, et pœnitentiam agat juxta illius judicium.»

(4) Sermon. CCCXIII. al. Hom. XII. *de pœnitentibus.* Totus sermo est de hoc argumento.

ut circumspiciant cui presbyterorum debent confiteri peccatum suum (*Loc. cit.*). Sec. II. labente celebre est factum, quod refert s. Irenæus de mulieribus a Marco prestigiatore circumactis, quæ: *Postea ad Dei Ecclesiam reversæ cum reliquo suo errore hoc quoque confessæ sunt* (*Lib. I. cap. 6. n. 5*), nempe secundum corpus se ab eo contaminatas, necnon miro in ipsum amore exarsisse, nonnullas vero earum hoc crimen confiteri veritas a vita Dei desperasse (1). Tertullianus eodem sec. damnat eos, qui *publicationem sui suffugere aut de die in diem differre præsumunt, pudoris magis memores quam salutis* (*Lib. de Pœnit. l. c.*). Hi loquuntur de usu confessionis tanquam proveniente ex divina institutione: *institutam a Domino exomologesim eam apertis verbis vocat Tertullianus* (2), ergo sec. I. eam jamdiu introductam esse fateamur necesse est, alioquin si recens inducta esset, ad Christum eam Patres illi minime retulissent.

Huc accedit doctrina de divina confessionis institutione ac necessitate, et confessionis usus apud Græcos, Armenos, Coptos, Æthiopes, reliquasque orientales sectas Nestorianorum et Monophysitarum, quæ a sec. V. ab Ecclesia Romana divisæ sunt (3). Hæ profecto sectæ ab Innocentio III. hanc doctrinam et praxim non sunt mutuata. Et hinc rursus ineluctabile exurgit argumentum præscriptionis, cujus pondere hæretici omnes opprimuntur.

Quæ cum ita se habeant, quis non miretur protestantium illorum stupiditatem aut impudentiam, qui adhuc obtrudunt in tanta critices luce, ab Innocentio III. scilicet XIII. seculo, inductam confessionem aut saltem ejus obligationem fuisse? Nempe eadem ratione, qua doctrinam de reali Christi præsentia in eucharistia paucis etiam ab hinc annis vidimus nonnullos protestantes affirmasse, a monacho Paschasio sec. IX. invecam in Ecclesiam fuisse. Ceterum nos ab ætate apostolica patres et scriptores ecclesiasticos attulimus, qui docent divinam esse confessionis institutionem, usque ad sec. XII. descendentes, ac rursus

(1) *Ibid.* cap. 15. ed. Mass. n. 5. ubi iterum scribit: «Hæ sapissime conversæ ad Ecclesiam Dei, confessæ sunt, et secundum corpus exterminatas se ab eo velut cupidine, et inflammatas valde illum se dilexisse.» Ubi præterea refert de uxore cujusdam diaconi ita abrepta, quod «post deinde cum magno labore fratres eam converterissent, omne tempus in exomologesi consummavit.» et n. 7. «Multas seduxerunt mulieres, quæ cauterizatas conscientias habentes, quædam quidem etiam in manifesto exomologesim faciunt; quædam autem reverentes hoc ipsum, in silentio sensim semetipsas retrahunt, desperantes a vita Dei, quædam quidem in totum abscesserunt; quædam autem inter utramque dubitant.»

(2) *Ibid.* cap. 11. Ex quo magis elicitur adversus Albaspinæum agi hic a Tertulliano de confessione proprie dicta a Christo instituta et præcepta, minime vero de exteriori tantum ac publica pœnitentiâ, seu de exteriori tantum apparatu, et de confessione quadam generica, qua peccator semetipsum apud Deum accusat. Publica enim hæc pœnitentiâ non a Domino, sed ab Ecclesia instituta est, nec conciliari cum ea interpretatione possunt quæ Tertullianus exaggerat de pudore, verecundia, etc. quem enim pudorem experiuntur protestantes in suis publicis genericis confessionibus? Non advertit vir doctus utramque confessionem, publicam scilicet et privatam, sacramentalem eo tempore fuisse, ut observat Massuetus diss. 5. Iren. ar. 7. n. 75.

(3) Cf. Renaudotium, *Perpétuité*, etc. tom. II. liv. III. ch. 5. et seqq. et liv. ch. 4. 1. et seqq.

a sec. XII. ascendentes usque ad ætatem apostolicam monumenta certissima praxis et obligationis hujus confessionis divinitus institutæ dedimus, præter consensus omnium sectarum, quæ V. Ecclesiæ seculo jam ab unitate desciverunt.

DIFFICULTATES. I. *Obj.* I. Allata documenta non evincunt necessitatem auricularis confessionis, sed 1. vel usum alicujus confessionis quæ Deo soli fieret, non autem sacerdoti, vel 2. confessionis cujusdam generalis, non autem omnium singillatim peccatorum; vel 3. confessionis liberæ, quæ devotionis gratia peragebatur, a monachis primum inductæ, non autem necessariæ; vel 4. ad recipiendam instructionem aut congruam pœnitentiam ut facilius obtineretur reconciliatio sub spe divinæ misericordiæ; vel 5. denique confessionis peccatorum publicæ, non vero secretae patrum. Quod II. ex Græcorum aliorumque veterum orientalium moribus confirmatur, penes quos nullus aut fere nullus obtinet confessionis usus, adeoque neque præceptum. Ergo.

Resp. ad 1. Neg. Etenim. 1. Patres et scriptores ecclesiastici quos adduximus, loquuntur de ea confessione, quæ Deo soli fit *per sacerdotem*, ut ait Anastasius Sinaita (*Loc. cit.*), et constat præterea ex s. Gregorio M. aliisque documentis non paucis circa sensum hujus formulæ de confessione Deo facienda (*Cf. Muzzarelli Dissert. cit.*). Loquuntur item, ut vidimus, de ea confessione a qua nonnulli præ verecundia retrahebantur, et ideo a salute excidebant, ut patet ex Irenæo, Tertulliano, Chrysostomo aliisque passim.

2. Agunt de confessione cunctorum singillatim peccatorum; nam *cuncta*, inquit Origenes, *necesse est publicari* quibus similia habet Cyprianus (1).

3. Disserunt de absoluta necessitate confessionis sine qua nulla datur peccatorum remissio, ut constat ex dictis (2). Ridiculum porro est quod addunt, confessionem scilicet devotionis causa fuisse introductam a monachis; ut enim cetera omittam, mulieres illæ quæ seductæ fuerunt a Marco, non erant monachi aut sanctimonialia.

4. Neque confitebantur fideles ad recipiendam instructionem, sed ad obtinendam peccatorum remissionem ab iis quibus claves regni cælorum, ut unanimiter patres loquuntur, commissæ sunt ad ligandum et solvendum (3).

(1) *Lib. de lapsis* p. 191. Cf. ejus verba superius cit. Alia plura ejusdem s. martyris in hanc rem testimonia congerit, ac vindicat adversus Pellum editorem Oxoniensem Maurinus editor in præfat. § 8.

(2) Cf. admonitionem ed. Maur. in *librum de lapsu virginis consecratæ.* Opp. s. Ambrosii tom. II.

(3) Apposite Massuetus diss. 5. art. 7. «Certe, inquit, si quo alio sibi ipse optulari posse remedio existimasset ex mulieres; si uni Deo facta confessio, privataque sponte suscepta pœnitentiâ sceleribus extandis satis fuisset, quid ambigebant? quid ab Ecclesia delibebant, vel animo dubiæ inter defectionem et reconciliationem hærebant? Quin potius tam facili remedio sibi ipse consulabant? Nodum hunc solvat Græbius, videatque, num apud suos ejusmodi pudor et anxietas peccatorum mentes usquam torserit. Ne ejusmodi ambagibus unquam implicarentur, abscessa pœnitentis ressecta tot molestiarum causa, sollicite caverunt. Sed tam expeditum salutis iter necdum Irenæi ætate notum erat.»